



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXIV. Vtrum sacramenta sint causa physicæ gratiæ, vel principales, vel
instrumentales?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

rationem differentialem ultimam, est consequenter omnino improducibilis ab eadem secundum omnem, & quamlibet rationem suam communem; falsum igitur est, ita se habere similitudinem præcisè secundum genus ad productionem præcisè secundum genus; sicut se habet similitudo secundum speciem ad productionem secundum speciem.

Ad 2. *Quanto aliqua causa est altior, tanto est communior, & efficacior; & quanto efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum*, ut dicit D. Thomas eodem illo in loco: id est, tanto plures formalitates, maiorque pars, seu quasi pars perfectionis conuenientis effectui correspondet formaliter tali causæ. Maxima autem perfectio cuiusque rei est penes rationem specificam. Quapropter, dum dicitur Deum influere secundum rationem entis, perinde est, ac dicere virtutem eius actiuam complecti omnes species entis, & in singulis speciebus omnes, & singulas formalitates earum, non tantum identicè, ac realiter, sed etiam formaliter. Nempe omnes, & singulæ causæ creatæ dependent in sua operatione ab eius influxu, non tantum identicè, & concomitanter, sed etiam formaliter, & directè; sicut omnia media quoad vim motiuam voluntatis dependent formaliter à motione ultimi finis, de quo alibi fusiùs. Idem eadem ratione dicitur proportionaliter de qualibet causa vniuersaliori comparata cum effectui causæ minus vniuersalis sibi subordinatæ. Nulla itaque causa attingit sua virtute rationem genericam effectus, quin simul attingat rationem eius specificam. Tribuitur nihilominus peculiariter ratio specifica effectus causæ magis particulari. Quia ad solam rationem specificam concurrunt formaliter; & quia causa vniuersalior determinatur ad talem speciem effectus per exigentiam causæ particularis.

Ad 3. Quò remotius est obiectum, eò magis confusam, magisque vniuersalem causat cognitionem. Quapropter, si cognitionem vniuersalem, & genericam causaret obiectum operando præcisè per rationem suam genericam, & vniuersalem, secundum quam conuenit ipsi minor perfectio, quam secundum rationem specificam; sequeretur maiorem, ac ampliorem sphaeram actiuitatis conuenire obiecto ratione minoris, quam ratione maioris suæ perfectionis. Quod est inconueniens. Quia maior sphaera actiuitatis fundatur in maiori perfectione, & virtutis cæteris paribus; eiusdemque perfectionis, & virtutis est ex longinquo posse parum aliquid, & ex propinquo posse multum. Cognitio itaque vniuersalis, & generica gignitur ab obiecto agente tota sua virtute actiua, tum generica, tum specifica; non tamen agente totaliter ex parte effectus, sed parum, & imperfectè: sicut Deus producit virtute infinita res finitas, & paruas, & magnas; non tamen agente infinitè, & totaliter, infinitate, & totalitate actus secundi.

Art. 1. Ad 4. Duplex est ratio discriminis. Prior ratio est quia communicato, per aliquam formam, effectui formali solum generico, non propterea necesse esset communicari eidem subiecto, per aliam formam, effectum formalem specificum contentum sub illo generico. Vnde nec ipsum effectum formalem genericum necesse esset communicari adequatè eidem subiecto per duas formas simultaneè informantis. Cuius oppositum apparuit, & est ex se manifestum circa genus causæ efficientis; cum sit evidens repugnare, ut producat realiter ratio aliqua generica, quin simul producat realiter ratio aliqua specifica contenta sub eo genere.

Art. 2. Altera ratio discriminis est, quia effectus formales sunt prædicata realiter distincta à subiecto,

cui communicantur, & eique realiter superadduntur. Prædicata verò communicabilia effectui à causa efficiendi sunt identificata cum illo realiter, nec eidem realiter superadduntur. Vnde non ea ratione repugnat, communicato solo effectui formali generico per vnam formam, denuo communicari effectum formalem eiusdem rationis eidem subiecto per aliam formam dantem simul effectum suum formalem specificum; qua ratione repugnat, data effectui perfectione generica per vnam causam efficientem adequatam, dari denuo perfectionem eiusdem rationis eidem effectui per aliam causam efficientem, siue adequatam, siue inaduatam. Quia nimirum quæ sunt vnicuique extrinseca, seu distincta realiter ab eodem, possunt multiplicari circa eundem, intrinseca verò, & identificata nequaquam. Non autem multiplicato eo, quod præstatur adequatè per vnam aliquam, vel formam, vel causam efficientem, nihil omnino superest, quod denuo reipsa præstetur; præstarive possit, secundum eandem rationem, per aliam causam, siue formalem, siue efficientem, & cuius exhibitione verè exerceatur talis alia causa in actu secundo à parte rei, uti distinctius traditum est in Philosophia. Transeat igitur quod dicitur de formis, & negetur consequentia.

QVÆSTIO XXIV.

Virum Sacramenta sint causæ physica gratiæ, vel principales, vel instrumentales?

Videntur non esse causæ physica, neque principales, neque instrumentales. Non quidem principales; quia talis dicitur ea solum causa, cuius virtus actiua est coniuncta cum perfectione maiori, vel certè non minori, quam sit perfectio effectus. Certum autem est perfectionem gratiæ præminere perfectioni sacramentorum; quæ videlicet sunt res materiales, & admodum viles. Sed neque instrumentales causæ esse possunt. Quia de ratione instrumenti est, ut propria, & natua sua virtute præstet aliquid conferens, ex sua natura, ad effectum causæ principalis; sicut serra acumine suo efficit sectionem necessariam, ut ab artifice fiat scamnum. Quæ sunt expositio, & exemplum D. Thomæ quest. 28. art. 1. & alibi sæpè. Nihil autem continetur in virtute, & actiuitate naturali sacramentorum, quod eo modo comparetur cum existentia gratiæ.

Dicendum igitur videtur Sacramenta esse puras condiciones, sine quibus non respectu gratiæ quæ dependenter ab ipsis sola voluntate, & potentia diuina confertur, uti opinantur Ocham, Gabriel, Durandus, & nonnulli alij. Quibus suffragari videntur aliqua sanctorum PP. effata, ut Ambrosij lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio: Aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est.* Hierem. in cap. 4. *Isaia: Homo tantum aquam tribuit; Deus autem Spiritum suum.* Augustinus epist. 23. *Aqua exhibens extrinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus sanctus operans intrinsecus beneficium gratiæ, &c.* Cyprianus, vel quis alius serm. de Baptismo Christi: *Dimissio peccatorum, siue per baptismum, siue per alia Sacramenta donetur propria Spiritus sancti est & ipsi soli huius efficientiæ privilegium manet.* Quæ aliæque similia nullam veram physicam causalitatem Sacramentis relinquunt, quam exerceant per se ipsa, sed solam rationem conditionis sine qua non.

Accedit Sacramentum aliquando conferre gratiam,

tiam, cum iam non existit, & interposito aliquo tempore; nempe recedente postea fictione, quæ adfuit, quando Sacramentum perficiebatur, vt dicitur quæst. 30. Manifestum autem est nullam causalitatem physicam præstari posse à causa, quando iam non existit; ac proinde eam causam, cuius causalitas exerceri, & effectus tunc primum existere potest cum ipsa causa iam non existit, nullatenus esse veram causam physicam, seu principalem, seu instrumentalem.

Sed contra est. Quia Concilia, & Patres communiter docent, idque absque vlllo addito diminutione, Sacramenta esse causas gratiæ. Et præterea monent frequenter humana ratione comprehendere minime posse, quo pacto Sacramenta causent gratiam. Quod, inter alia, pertinet admiratio illa Augustini tract. 80. in Ioan. post medium. *Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tangat; & cor abluit!* Et paulo post: *Aqua baptismalis corpus tangit, & cor abluit!* Incongruè autem, & absurdè dicitur causa, præsertim sine addito diminutione, quod nihil physice præstat; nec humanam rationem prætergreditur, aut magnæ admirationis iusta materia est causalitas, omni vera physica, causalitate minor; nec aqua ita cor abluit, sicut corpus tangit, si non habet virtutem abluendi physice cor. Concedenda igitur est Sacramentis nouæ legis causalitas physica, vel principalis, vel saltem instrumentalis propriè talis respectu gratiæ.

Art. 1. Responderetur. Inferitur imprimis clarè ex dictis in triplici quæstione præcedenti, Sacramenta non producere gratiam secundum vllam eius rationem specificam aut genericam agendo in illam immediatè per virtutem suam propriam, seu identificatam realiter cum ipsis. Quia gratiæ secundum suam rationem specificam considerata nullum conuenit prædicatum commune sibi cum vlllo prædicato specifico effectuum naturaliter producibilium per materias, & formas sacramentorum, vt patet ex se; ac proinde neque secundum suam rationem specificam, neque secundum vllam suam rationem genericam est producibilis, etiam diuinitus, virtute illarum propria agente in ipsam immediatè, vt patet ex præmissis. Tamen si autem causa principalis non eodem sensu semper vsurpetur, à nemine tamen causa principalis physica vnquam dicitur respectu alicuius effectus, quæ nullatenus potest ipsum, per propriam virtutem, immediatè attingere secundum vllam rationem formalem identificatam realiter cum eodem. Ergo Sacramenta non sunt causæ physice principales gratiæ, nec esse potuerunt etiam de potentia Dei absoluta.

Art. 2. Iam causa instrumentalis, quædam est necessaria, aut conueniens, inseruitque causæ principali quoad effectum ipsius secundum se, atque ad eundem effectum simpliciter, & absolute inducendum. Quo pacto est necessaria securis, inseruitque artifice ad inducendam formam scæmni. Quædam verò alia causa instrumentalis inseruit, & est necessaria, aut conueniens, non ratione effectus causæ principalis secundum se, nec ex natura ipsius causæ principalis, & effectus eius; sed solum ad effectum sic, vel sic inducendum iuxta peculiarem intentionem causæ principalis, & ob circumstantias accidentales non per se, sed per accidens inexistentes effectui. Quo pacto hypocritis, qui describuntur Matth. 6.2. erat necessaria tuba, & eius sonus ad largitionem elemosynæ; ad largitionem scilicet gloriosam, & honorificam apud homines. Quæ sanè fuit inuentio nequitiae, considerata natura rei secundum se, valde mirabilis, vt tuba esset instrumentum dandi elemosynam, induceretque ipsam in genere causæ physice instrumentalis.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

Art. 3. Vtrique instrumento commune est, vt præstet aliquid immediatè propria virtute, per quod cooperetur causæ principali in ordine ad inducendum suum effectum; præmittendo scilicet aliquam dispositionem necessariam, vt talis effectus existat hic, & nunc, vel simpliciter, vel cum aliqua speciali vtilitate, & conuenientia ratione. *Si enim instrumentum aliquid nihil huiusmodi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum*, vt dicit D. Thomas 1. part. quæst. 44. art. 5. ac proinde non haberet vllam veram rationem causæ, seu principalis, seu instrumentalis propriè talis. Nempe est de conceptu causæ, vt sic propriè talis vt non sit frustra respectu effectus pendens ab ipsa, sed vt aliquid conferat ex se in ordine ad existentiam eius; sitque proinde causa vel solum principalis, vel ita instrumentalis respectu vnius effectus, vt simul, ac indiuisim sit principalis respectu alterius effectus ordinati ad existentiam prioris effectus.

Art. 4. Sacramenta autem nihil eiusmodi præstare possunt virtute propria respectu gratiæ secundum se præcisè considerata, & iuxta eius naturam præcisam ab omnibus circumstantiis accidentaliter sibi adiungibilibus. Quia gratia est effectus ex se insensibilis, spiritalis, & supernaturalis existens auctore Deo, vt causa eius principalis adequata, adeoque omnino independens per se ab omni sensibili, ac naturali dispositione, quam solum præstare possunt Sacramenta, virtute ipsorum propria, vt apparet ex ratione proposita art. 1. Igitur Sacramenta non habent, nec habere vllatenus possunt rationem causæ physice instrumentalis, respectu gratiæ secundum se præcisè considerata; nec sunt necessaria, aut conuenientia ad inducendam eandem sub eadem consideratione.

Art. 5. Neque verò dici potest Sacramenta eleuari per qualitatem supernaturalem communicatam sibi à Deo, vt ea mediante tanquam virtute, & ratione agendi, possint iuuare physice ad productionem gratiæ. Primum quia talis qualitas non posset communicare Sacramentis suum effectum formalem proprium, vt apparet ex dictis quæst. 21. præsertim ad 4. ideoque non redderet Sacramenta causatiua gratiæ, tamen si ipsa esset causatiua eiusdem gratiæ. Deinde quia perfectio specifica propria gratiæ sanctificantis in nulla qualitate, quæ non sit sanctificans, potest contineri, siue adequatè, siue inadæquatè, ac proinde nulla alia qualitas inferioris conditionis potest esse effectiua gratiæ, siue adequatè, siue inadæquatè. Verum neque dispositiua ad gratiam aut purè exigituiam eius dici potest talis qualitas. Non quidem dispositiua, quia dispositionem purè physicam, sicut nullam peculiariter exigit gratia in subiecto, cui infunditur, ita nullam communicat Sacramentum; intentionalem verò, neque aliquid extrinsecum creatum causare potest in anima suscipientis Sacramentum, neque est de ratione Sacramenti vt illam inducat, aut reperiat in suscipiente, vt patet ex baptismo paruulorum, & aliorum carentium vsu rationis.

Art. 6. Nec etiam purè exigituiam gratiæ dici potest eadem qualitas eleuatiua Sacramentorum. Quia repugnat pura exigentia innata, & pura connexio physica vnius cum alio, absque aliqua alia habitudine priori inter ipsa. Omnis namque eiusmodi exigentia, & connexio fundatur in aliqua speciali proportionem virtutis causatiuæ, & effectus; medij, & finis &c. nec auctore Deo, & natura existere potest stulta eiusmodi appetitio destituta omni ratione petendi fundata in tali, vel tali speciali conditione petentis, & aptante, ac ordinante specialiter ad talem, vel talem terminum petitionis. Præterea quo iure

Ecce 3 dicuntur

dicuntur Sacramenta seipsis immediatè connecti essentialiter cum qualitate exigitiua gratiæ; eodem immo, & potiori dici possunt, nec possunt non dici similiter connecti se ipsis immediatè cum gratia. Quia nullatals connexio conuenire illis potest, nisi ratione diuinæ institutionis. In institutione autem diuina certissime continetur collatio gratiæ, non verò collatio talis qualitatis exigentiæ gratiam. Nullus itaque superest modus; vel extrinsecæ eleuationis intentus à Suarez, & asseclis; vel intrinsecæ informationis per qualitatem supernaturalem effectiuam gratiæ, aut dispositionis supernaturalis ad gratiam, vt intendunt moderni nonnulli Thomistæ; vel purè exigitiuam gratiæ, vt placet quibusdam aliis. Nullus, inquam, superest talis modus, quo Sacramenta possint esse instrumenta physica respectu gratiæ secundum se suamque entitatem præcise.

Art. 7. Possunt nihilominus eadem Sacramenta esse, & reipsa sunt causæ physica instrumentales gratiæ; quatenus sensibiliter conferendæ; adiuncta videlicet per vim eorum illustratione, & crectione, & excitatione peculiari animi ad considerationem intimiorem; ac faciliorem ipsius gratiæ, & beneficentiæ diuinæ, nec non effectuum, quos eadem gratia præstat suscipienti vnumquodque Sacramentum; & adiuncta consequenter speciali eiusdem suscipientis consolatione de accepto beneficio gratiæ, nec non speciali ad eandem gratiam adhesionem, & affectionem. Etenim Sacramenta causant per se virtute propria speciem impressam sui in sensibus auditus, visus, vel tactus. Et rursus media sensitione, atque inde cognitione sui præsupponenti, vti de facto præsupponit institutionem, & reuelationem diuinam, & notitiam vtriusque, vt dictum est quæst. 9. inducunt cognitionem gratiæ, quatenus collatæ dependent ab ipsis. Quia verò eadem Sacramenta sunt symbola gratiæ, & effectuum eius, vt dictum est quæst. 1. & expositum clarius quæst. 11. erudiunt simul, exercētque animum circa naturam, & effectum gratiæ. Ac demum ex duplici istiusmodi cognitione proueniunt, vt facile apparet consideranti ipsarum naturam, reliquæ utilitates spirituales nuper indicatæ. Fuit porro valde conueniens, ac necessarium, vt gratia conferretur, pro statu præsentis naturæ lapsæ, cum prædictis omnibus specialibus utilitatibus, ac circumstantiis vt apparet ex quæst. illa 11. Concurrent igitur Sacramenta, tanquam veræ causæ physica instrumentales ad gratiam, quatenus conferendam eo modo, quo oportet, vt conferatur de facto, atque supremus artifex optima, ac per idonea sanctificandi hominis instrumenta sibi delegit, perfecitque pro rerum opportunitate præsentium, dum nobis talia Sacramenta instituit, & indulgit.

Art. 8. Ille modus exponendi, & statuendi causalitatem instrumentalem physicam Sacramentorum in gratiam, extrahit imprimis eadem Sacramenta à ratione puræ conditionis sine qua non, respectu eiusdem gratiæ. Quia quod est pura conditio sine qua non, nihil præstat, nullumque producit effectum virtute propria, per quem cooperetur, vel ad existentiam simpliciter, vel ad conuenientem modum existentie effectus, respectu cuius est conditio sine qua non. At Sacramenta, iuxta expositionem præmissam causalitatis eorum, præstant aliquid virtute propria, per quod verè, ac physice cooperantur ad gratiam, quatenus conuenienter conferendam homini lapsò, ac reparato.

Art. 9. Consonat deinde D. Thomæ idem modus exponendi. Quia S. Doctor quæst. ista 62. art. 1. & 4. & alibi semper tribuit Sacramentis causalitatem instrumentalem respectu gratiæ vtendo in eam rem exemplis ferræ, securis, cultelli. Quæ sanè exem-

pla essent absque, ac prorsus inidonea, si ageret, vt volunt Vasquez, & alij, de causalitate solum morali. Adducit verò præterea quoddam aliud exemplum in prædicto art. 4. ad 1. dicens Sacramentis inesse vim quandam spiritualem ad communicationem gratiæ, eo modo quo vocibus inest ad communicandos mutuo conceptus mentis. Nihil autem appositius dici potest ad expositionem nostræ sententiæ, nec ulli alij sententiæ exponendæ vtile, & opportunum esse potest istud exemplum. Quia voces humanæ, secundum id, quod dicunt in recto, & secundum suas entitates materiales, solam causant virtute propria speciem impressam sui. Deinde hæc species, quatenus superueniens institutioni ad placitum, & notitiæ institutionis præexistenti in audiente, inducit manifestationem conceptuum loquentis, quam ipse loquens intendit, tanquam eiusdem auctor principalis. Atque hoc demum modo euadunt voces causæ instrumentales manifestationis conceptuum, superaddita, entitati ipsarum materiali, & virtuti actiue innatæ, denominatione extrinsecæ per liberam hominum institutionem, & per intentionem loquentis. Quæ ipsa denominatio extrinsecæ, est extrinsecæ quædam vis spiritualis agendi in vocibus. Eadem autem seruatis seruandis, seu mutata tantum materia, dicta sunt, ac dici omnino debent iuxta mentem Angelici Doctoris de Sacramentis respectu collationis gratiæ conuenientis statui naturæ lapsæ.

Art. 10. Per eundem denique exponendi modum satisfit clarè, & facile rationibus dubitandi præmissis pro vtraque parte. Prioribus enim rationibus negatiuis conceditur non inesse Sacramentis causalitatem physicam principalem respectu gratiæ; neque etiam instrumentalem effectiuam dispositionis requisitæ ad existentiam gratiæ spectata eius natura secundum se; solumque proinde Deum esse causam adæquatam totius perfectionis conuenientis gratiæ secundum se. Hoc autem tantummodo intendunt illi Sancti PP. & conuincunt illæ rationes. Negatur verò non exercere Sacramenta causalitatem physicam instrumentalem respectu gratiæ, vt conferendæ modo conuenienti statui naturæ lapsæ. Cuius oppositum nullatenus indidem conuincitur, vt patet. Verum neque ex eo conuincitur, quod gratia sacramentalis aliquando conferatur tempore, quo Sacramenta iam non existunt. Quia non est de ratione omnis instrumenti, vt tunc existat, quando inducitur effectus causæ principalis, vt patet in artifice potente inducere formam scanni, postquam securis, quæ ligna antecedenter secuit, destructa est; patet verò clariùs in vocibus, quæ non existunt secundum se, sed tantum in effectum suo, quando fit manifestatio conceptus loquentis. In hunc igitur modum Sacramenta existentia tempore antecedenti possunt causare iuxta expositionem datam, sensibilitatem gratiæ, vt conferendæ tempore sequenti, quatenus ipsis pereuntibus remanet nihilominus species impressa, quæ ab eisdem processit, de quo dicitur plulculum infra quæst. 47. circa effectus Sacramenti Baptismi.

Art. 11. Iam quod attinet ad posteriores rationes dubitandi. Pro omni eiusmodi admiratione, & magnifica expensione causalitatis Sacramentorum in gratiam, abundè sufficit, quod Sacramenta physice, ac realiter, licet instrumentaliter tantum, gratiam efficiant. Nec enim humana ratio, nisi diuina reuelatione instrueretur, ac eleuaretur, assequi vnquam, & credere potuisset res ita dispositum iri, aut etiam disponibles esse vt efficientis connaturalis rebus materialibus, iisque vilissimis actione sua aliquid conferret ad collationem gratiæ sanctificantis, eandemque

démque gratiam aliquatenus induceret; vtque aqua, dum corpus tangit, simul etiam, licet non eodem modo (de qua identitate modi nihil dicit, aut insinuat Augustinus) cor ablueret, cum ea præsertim huius causalitatis instrumentalis prærogatiua speciali, nec communi aliis instrumentis, quæ in quæstione sequenti clariùs exponetur. Iuuat interim obseruare in exemplo nostræ sententiæ nuper expenso ex mente D. Thomæ, voces dici communiter causas manifestationis conceptuum; cum ad illam non plus, aut aliter influant, quam dictum est à nobis entitates materiales Sacramentorum influere in gratiam. Foret præterea valde mirabile, si non esset quotidiana experientia vsque aded manifestum sonos editos in aëre posse esse manifestationes interiorum animi conceptuum, omniumque eius discursuum, ac meditationum. Quid nimirum admirationem pariat summam assimilis influentia, & causalitas rei materialis, & extra nos posita in internam, ac supernaturalem infusionem gratiæ, nequaquam manifesta per experientiam, solumque transparens obscurè per diuinam reuelationem.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum Sacramenta sint causæ morales gratiæ?

Videntur non esse. 1. Quia morale diuiditur contra physicum in vnoquoque genere. Vnde fieri non potest, vt idem prædicatum insit eidem physice simul, & moraliter. Dictum autem est Sacramenta esse causas physicas gratiæ. Ergo non sunt causæ morales eiusdem.

2. Exempla denarij plumbei quo quis vtitur ad obtinendum centum libras ex Regis ordinatione, & exhibitionis libri, ac baculi, quibus inuestitur Abbas, reprobantur à D. Thomæ, & ab aliis communiter, tanquam insufficientia, ac inidonea ad explicandam causalitatem Sacramentorum; cum tamen sint omnino appropriata ad explicandam causalitatem moralem. Approbantur verò è conuerso ab eodem, & ab aliis satis communiter exempla ferræ, securis, & cultelli: quæ ridiculum esset dicere instrumenta moralia, aut causas morales. Ergo Sacramenta non sunt causæ morales.

3. Causa moralis mouet, ac determinat causam physice effectiuam, ad producendum effectum vtrique communem. Neque verò id præstat, vt purum signum voluntatis ita operandi, quæ præextiterit in ipso efficiendi, nec etiam præstat, vt pura conditio sine qua non appositæ per voluntatem eiusdem efficientis. Quia causa ex suo conceptu communi superaddit aliquid vltra rationem puri signi, & puræ conditionis. Sacramenta autem non mouent, ac determinant Deum, qui est causa principalis efficiens gratiæ. Quia nec vis meritoria illis inest, vt patet ex quæst. 19. nec aliud moralitatis genus, qua mouere, ac determinare possint, in eis apparet.

4. Quod non est tale, vel tale physice, dicitur nihilominus tale moraliter, præcisè quatenus æquiualeat rei, cui physice conuenit esse talem. Sacramenta autem formaliter sunt causæ physice instrumentales gratiæ; & nihil habent, quod æquiualeant causæ physice principali, qui est Deus. Ergo Sacramenta, nec causæ instrumentales, nec principales gratiæ, moraliter esse possunt.

Art. 4. Respondetur. Per hoc vel maxime differunt Sacramenta ab aliis causis instrumentalibus, quod

alia instrumenta, non solum existere secundum se, verum etiam exercere possunt totam actiuitatem propriam ipsorum, nondum existente effectu proprio causæ principalis, & insuper quin vnquam absolute talis effectus subsequatur, vt patet in lignis sectis, ferra, securi aut cultello, & nondum aptè dispositis, vel etiam vnquam disponendis ab auctore principali artefacti, vt ipsum artefactum aliquando existat. At Sacramenta, nec existere, nec effectum suum proprium, ac peculiarem actiuitate sua naturali exequi possunt, quin sequatur infallibiliter effectus causæ principalis, quantum est ex parte ipsius causæ principalis; id est, nisi eadem causa principalis simul cum iisdem Sacramentis aliunde extrinsecus impediatur. Differunt præterea tum ab iisdem instrumentis purè physicis, tum à causa, quæ est meritoria immediate ratione sui. Ab instrumentis quidem purè physicis, quia huiusmodi instrumenta non dependent ex se ab vllis meritis, sicut dependent Sacramenta à meritis Christi quoad vim inducendi effectum causæ principalis. A causa verò immediate meritoria differunt, quia causa, quæ est meritoria immediate ratione sui habet ex se, vt inferat sub determinata mensura effectum dependentem à vi meritoria ipsius; Sacramenta verò inferunt gratiam, sub tali determinatè mensura, præcisè ratione meritorum Christi. Differunt denique, quia instrumenta alia purè physica non constituuntur intrinsecè, nec adæquatè, nec inuadè quate in ratione talium, per determinatam voluntatem, ac intentionem vtentis iisdem instrumentis; Sacramenta verò constituuntur intrinsecè per determinatam intentionem ministri vtentis ipsis, vt dictum est q. 6.

Art. 2. Triplici igitur ex capite dici potest Sacramenta causare moraliter gratiam, seu esse causas morales gratiæ; vel instrumentales eo modo, quo dictum est in quæstione præcedenti esse causas physicas; vel etiam principales moraliter sub aliqua consideratione. Primum nimirum, quia quæ parum inter se distant, aut conueniunt in prædicato, quod præcipue æstimatur in eo comparationis extremo, quod præminet alteri extremo, idem moraliter censentur; quatenus parum pro nihilo reputatur, ideoque eodem nomine vtrumque significatur adiuncta particula *moralis*, illi extremo, quod re ipsa est minus principale. Prædicatum autem, quod præcipue æstimatur in causa physica principali effectus; quem quis desiderat, est actiuitas inferens infallibiliter eundem effectum in quouis subiecto bene, aut non malè disposito. Conuenit porro illud prædicatum actiuitati Sacramentorum respectu gratiæ; vt nuper primo loco obseruatum fuit. Rursus id omne participat denominationem moralis, quod viget vi rei in se intrinsecè moralis, idque ex aliquali coniunctione cum eadem re intrinsecè morali. Omnis autem Sacramentorum vigor dependet ex meritis Christi; & ex quadam coniunctione actionis Ministri cum iisdem meritis, vt obseruatum similiter nuper fuit. Postremo res physice, & actiones exteriores includentes intrinsecè actum liberum voluntatis, quoad vim inductiuam, & causatiuam alicuius effectus, dicuntur absolute causæ morales talis effectus: Quia eatenus differunt à causa purè physica; vtpote non sic includente in se vllum actum voluntarium, ac liberum. Quo pacto contractus exteriores dicuntur causæ morales translationis dominiorum, aliorumque similium effectuum. Dictum autem est Sacramenta includere intrinsecè, ac essentialiter talem actum internum, atque ab eo dependere formaliter quoad esse completum Sacramenti, & quoad vim illatiuam gratiæ.

Art. 3. Multipliciter ergo Sacramenta sunt causæ morales gratiæ. Verum propter duas potissimum istas